



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

11. In quem sinem Oratio Dominica in omnibus horis, & cur subinde vel tota vel ex parte tūm secreto, tūm clarâ voce dicatur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

§. 3tius.

Notabiliora de vanis ipsarum septem horarum  
in specie partibus præter ea , quæ de Pri-  
mâ, Vesperis & Completorio §. præ-  
cedente memorata sunt.

II. In quem finem Oratio Dominica in omnibus  
horis , & cur subinde vel tota vel ex parte  
tum secreto, tum clarâ voce dicatur.

**O**ratio Dominica recitatur in officio tribus modis. *In initio horarum*, ut mens præparetur, & oratione hâc contra distractiones muniatur. *In fine horarum*, ne Diabolus de corde Sacerdotis rapiat, si quid boni seminatum est per recitationem horarum. *In medio horarum* ad preces, ut nos identidem recolligamus, & ad devotionem ipsâ, quam Christus nos docuit, oratione excitemur, precesque, quas diximus & dicturi sumus, majorem efficaciam habeant.

Tota Oratio secretò, tota clarâ voce, dein partim secretò, partim clarâ voce dicitur: ut omnibus modis orandum esse Deum intelligamus. Dicitur clarâ voce tota in precibus Laudum & Vesperarum, in Adventu, in diebus jejunii, ut cum jejunio elatâ voce magis audiatur. Sapientia autem secretò dicitur; quia Deus de corde clamantes audit, non raro partim clarâ voce partim secretò, & tunc primis illis vocibus

132                   Pars tertia

Pater noster clarâ voce prolati invitantur alii ad simul orandum. Et postremis *Et ne nos inducas*, innuitur requiri aliorum consensum, ut per con spirationem omnium Deo offerantur preces.

Unde *Salutatio Angelica*, & cur dicatur  
in omnibus horis.

**S**alutationis Angelicæ sive *Ave Maria* autores sunt Archang. Gabriel per hæc verba : *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Elisabeth ultimis verbis hæc addens : *Et benedictus fructus ventris tui.* Verbum *JESUS* in medio dici putat Gav. ex antiqua consuetudine. In Conc. Ephesino certum est teste Baron. hæc verba pronuntiata fuisse *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus Amen.* Et hæc verba mansere usque ad Breviarium Cardinalis S. Crucis. Postremis temporibus ex consuetudine Romanâ à Pio V. approbatâ addita sunt hæc verba : *Nunc & in hora mortis nostra Amen.* Jussu Pii V. initio omnium horarum excepto Completorio debet dici cum *Pater noster* simul *Ave Maria*, & videtur ideo ( postquam Officium B. V. quod alias quotidie recitabatur cum officio divino, nunc præfertim extra Chorum, omittitur ) retenta esse salutatio Angelica ante horas omnes dicenda; ut in singulis horis eam colamus, cuius intercessione omni tempore indigemus.

12. Unde *Symbolum Apostolorum*, cur & ante qual horas dicatur partim secreto, partim etatâ voce.

**S**ymbolum græcè est *Collatio*, sive quod in unum confertur, dicitur *Apostolorum*, quia fin-